


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIV. - N. 146

MM. JULIO et AUGUSTO

AN. D. MCMLIV

# SUMMARIUM

Curiosa et jocosa . . . . .	Collell
De hyperbole apud aureos Latinitatis	
auctores . . . . .	Sansegundo
Lucretiana . . . . .	Orth
Bibliographia . . . . .	González
Nova et Vetera . . . . .	González
De re familiari . . . . .	Sarmiento
Commerciū epistulare . . . . .	Avenarius - Xylander
Per Orbem . . . . .	Aspa
Albius Longus sibi fingit somnia . . . . .	Sarmiento
Bibliographia . . . . .	Alba - Molina - González

## Curiosa et Jocosa

### PYRAMIS DUPLEX (cfr. fasc. 141, p. 100) SOLUTIO

a . . . . .	1	a) vadel pergel	i
b . . . . .	2 1	b) consonans Graeca	pi
c . . . . .	2 1 3	c) religiosa, casta	pla
d . . . . .	4 1 2 3	d) margo fluminis lacusque	ripa
e . . . . .	5 3 2 4 1	e) cornutae bestiae domesticae	capri
f . . . . .	2 4 1 6 5 3	f) pristina, antiqua	Prisca
g . . . . .	5 3 2 1 6	g) pater Anchisae (y = i)	Capys
h . . . . .	6 1 5 3	h) pugio	sica
i . . . . .	6 1 5	i) ita, taliter	sic
j . . . . .	1 6	j) pronomen demonstrativum	is
k . . . . .	1	k) vade, perge	i

### PECTEN (cfr. fasc. 144, p. 157) – SOLUTIO

.	u	.	u	.	i	.	f	.	b	.	l
u		i		i		a		v		n	u
.		.		.		.		.		.	.
a		a		e		e		s		a	o

- 1) Telluris comes placida: **luna**
- 2) Poma quae sunt dulcissima: **Pira**
- 3) Ablativi praepositio: **sine**
- 4) Quo modo pelagus trajicio?: **nave**
- 5) Quis saepe solet visitari?: **avus**
- 6) Quid vento volvitur in mari?: **unda**
- 7) Cui rei serviunt avari?: **auro**

### L U P U S I N F A B U L A

U I I A V N U  
N R N V U D A  
A A E E S A O

INVENT JOSEPHUS COLLELL, C. M. F  
Alumnus Collegii Barbastrensis

# PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America, 25 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

## De hyperbole apud aureos Latinitatis auctores

Apud Latinos, sicut et antea apud Graecos, maxime quidem invaluit variandi ratio per figuras, ut sua sensa exprimerent pulchrius, ac sermonis elegantia hominum aures afficerent plenius. Variarunt sententiam saepenumero per *hyperbolem*, quam quidam *superlationem* vel etiam *virtutem minuendi atque augendi* nominarunt. Hoc mendacio, ut inquit Seneca, pervenimus ad verum: plus enim dicit hyperbole, quam res habet. Attamen, quamvis haec figura sit semper extra fidem, non tamen debet esse ultra modum; neque enim alia via —ut ait Quintilianus— magis in *κακοζήλιαν* itur. Sic, quod verum est, ex falso intellegitur, ut si dicamus: *hic vel saxa sua loquacitate potest rumpere; caelum digito attingere; ocior Euro; sublimi feriam vertice sidera*, alia.

Multifariam invenitur apud aureos. Sed non uno modo. Itaque inservit augendo, ut quod Cicero, et ex eo Fabius refert de Memmio, homine praelongo, *caput eum ad fornicem Fabii offendisse*. Et apud Maronem: *Candidior cygnis. hederam formosior alba*, et alia sexcenta. Inservit etiam in comparando, ut *melle dulcior, plus milies audivi*, et similia.

Uti vides, ὑπερβολή, quod ad verbum «superjectionem», hoc est, excessum sive eminentiam notat, est oratio augendo, vel minuendo, superans fidem. Minuit enim idem Maro, cum dicit: *Vix ossibus haerent*, cetera.

Jam vero, hyperbole quam maxime obtinet locum in comparatione, ut tritum illud Vergilii: *fulminis ocior alis*. Haud abs re erit, credo, huc annumerare comparationes illas per hyperbolem sumptas, quas, auctores dum legebamus, decerpere libuit. Omnia tamen hic congerere supersedeo: innumera enim sunt. Pauca ergo sufficiant.

1. Per comparationem, inquam, plus facto dicimus, ut si quis hominem crudelissimum, *Atreum* appellet; severissimum, *tertium Catonem*; eloquentissimum *Ciceronem alterum*, et hujusmodi alia. Item per comparationem proprie dictam, ut: *hic est nive candidior, graculo loquacior, Scythia barbarior, Codro pauperior, magis mutus quam perdix, testudine tardior*, et alia id genus. Ut videre fas est, sumuntur variis modis, vel a re quapiam eximia, ut *pice nigrior, auro potior, stipite tardior, litore surdior, vitro fragilior, pluma levior*, vel a nomine abstrac-

to. ut *caecitate caecior, loquacitate loquacior, levitate levior, citius dicto, cetera*; vel ab animante insigni, ut *talpa caecior, caprea oculatior, stultior asino, cane servilior, elephanto prudentior, viri contentiosiores gallis gallinaceis, homines felibus rapaciores, adulantiores simiis, leporibus timidiores, iracundiores catellis*, hujusque generis alia.

Sed placet hic contexere exempla ex auctoribus deprompta, ut videre liceat quanti apud illos fuerit haec dicendi, vel potius pingendi ratio. A simplicibus indicium ducamus, de quibus aliqua jam praelibata sunt.

Caudice stolidior	Alno procerior	Fonte purior
Cortice levior	Rusco horridior	Oculis carior
Oleo tranquillior	Trutina justior	Ramento levior
Silice durior	Spina distortior	Cornu siccior
Iracundior Adria	Charybde voracior	Glacte frigidior
Litore surdior	Crambe recocta molestior	Sole clarior
Sitientior arenis	Uvis passis aridior	Pumice aridior
Cote durior	Luce magis dilecta	Appio mollior
Ampulla inanior	Statua taciturnior	Barathro capacior
Cribro infidelior	Cothurno instabilior	Spongia bibacior
Magnete illicitibilior	Pluma levior	Clavo durior
Morte odiosior	Alga vilior	Pila volubilior
Gliribus somnolentior	Buxo pallidior	Plumbo stupidior
Beta magis insipidus		

Ast eadem voces per hyperbolen iterantur hoc pacto: «ipsa caecitate caecior; ipsa nequitia nequior; voracitate voracior; ipsa fame esurientior; senio senilior ipso, morositate morosior; deformitate deformior; quovis monstro monstrosior», cetera.

Nihilo tamen minus, «superjectionem» istam, quam dixi, per simplicem denominationem passim auctores effingunt, ut si rem vehementer suavem, *nectar* appelles; rem vehementer acerbam, *fel*; hominem vehementer scelestum, *scelus*; supra modum senem, *senium ipsum*; ganeonem, *coenum*; contaminatum, *labem*; contemptum, *quisquilias*; impurum, *sterquilinium*; lurconem, *barathrum*; inquinatum, *lutum*; tenebrionem, *tenebras*; infamem, *propudium*; dedecorosum, *dedecus*; molestum, *ulcus*; portentosum, *portentum*; vitiosum, *sentinam*; odiosum, *odium hominis*; virulentum, *viperam*; vehementer caecum, *talpam*; brutum, *pecudem*; vehementer rapacem, *lupum*, et alia hujuscemodi.

2. Sed in orbitam revertendum mihi est, ad hyperbolen scilicet per comparisonem. Audacissimae apud poetas obviam occurrunt, quae quidem suis scriptis ingerunt vel ornatum vel magnificentiam. En tibi alia illis finitima:

Venere formosior	Labyrintho intricatior	Tantalo sitientior
Pluto ditior	Euterpe concinnior ipsa	Insanior Oreste
Ipsis Gratiis humanior	Icaro audacior	Dolosior Ulysse
Momo mordacior ipso	Pisandro timidior	Castior Penelope
Furta furiosior	Stentore clamosior	Thersite deformior

Animosior Achille	Tenacior Euclione	Tiresia caecior
Atreo crudelior	Orpheo vocalior	Niobe facundior
Diana intactior	Minerva doctior	Titono vivacior
Mercurio facundior	Salute ipsa salubrior	Cyclope immanior
Marte bellacior	Thaide blandior	Stupidior Glauco
Gigantibus audacior	Insanior Ajace	Sphinge involutior
Parasito edacior	Daedalo ingeniosior	Nestore facundior

Ut videre est, omnia haec a tregoeidiis et fabulis poëtarum plerumque petuntur. Veritatem, ut jam per se liquet, data opera exagitant, adeo ut mendacium quodammodo prae se ferre videantur. Idque omnibus quidem linguis. Nam a trita classicorum semita nec tantillum deviarunt. Sermo Hispanicus, verbi causa, quamplurimas hujus figurae formas suppetit. Ut reliquos omittam, unum tantum auctorem proferam: Ludovicus Legionensis omnium instar sit hujus figurae adstipulator idoneus. Dicit enim:

Cubre la gente el suelo  
debajo de las velas desaparece  
la mar, la voz al cielo  
confusa, incierta crece,  
el polvo roba el día y le escurece.

Ubi tot sunt hyperboles quot versus (1).

3. Sed gradum proferamus. Silentio praeterire non possum elegantissimas aeque ac lepidissimas sententias ex historiis fere sumptas, quae quidem testimonio sunt, hyperbolen non solum cum animorum motu versatur oratio usurpari, verum etiam in re vulgari et stilo historicorum proprio, reperiri. In mentem revoca, quae vel ipse usus habet cotidiani sermonis: *metu exanimari*, *diffluere lacrimis*, et sexcenta hujusmodi alia supra jam commemorata. In medium proferam nonnulla:

Sardanapalo nequior	Aristide incorruptior	Sanior est pisce
Croeso ditior	Fortior Milone	Hyppolito castior
Numa religiosior	Obliviosior Curione	Luxuriosior Aesopo
Timotheo felictior	Chryssippo acutior	Fabio cunctantior
Phocione justior	Cothurno versatiliior	Socrate sanctior
Polycrate fortunatior	Corvo rarior albo	Hannibale vafrior
Mactata hostia lenior	Diagora deterior	Heraclito obscurior
Est clavo purior	Pepone mollior	Demosthene facundior
Luce clarior meridiana	Justitia justior	Poenó perfidior
Milone voracior	Prodicó doctior	Cretensi mendacior
Tunica pallio propior	Crotone salubrius	Scytha asperior
Lécytha pinguior	Cucurbita sanior	Fugacior Parthis

Et repetita etiam sunt apud nos illa: «comerse los codos de hambre», «desternillarse de risa», «poner a uno en los cuernos de la luna», «sudar tinta como los calamares». Et in comparando: «más blando que una breva», «más escurridizo que una anguila», «más áspero que un cardo», «más bueno que el pan», «más dulce que la miel», et alia paene innumera. Item cum nominibus propriis: «más sabio que Merlín», «más malo que Cádiz», cet. Quae quidem omnia, non vera, ut patet, sed veri tantum similia sunt.

Pygmaeo brevior  
Lynceo perspicacior  
Arcade stolidior

Arabibus ditior  
Laevior Graeco

Thessalo perfidior  
Cretensi vanior

4. Deinde protulisse juvabit ea quae ab animantibus potissimum derivantur, quaeque in sermone vulgari passim occurrunt apud comoedos praesertim. Cujusmodi sunt:

Multere loquacior  
Delphino lascivior  
Scorpio improbiior  
Gltre somniculosior  
Cochlea contractior  
Hydra immitior  
Asello tardior  
Dama timidior  
Hirundine bibacior  
Anguilla lubricus magis  
Cane rixosior  
Simia lascivior

Fele rapacior  
Vulture edacior  
Leone ferocior  
Serpente callidior  
Corvo vivacior  
Graculo locuacior  
Lepore timidior  
Sue indoctor  
Tauro robustior  
Urso hispidior  
Adulantior cane

Vulpe fraudulentior  
Pisce sanior  
Nigro rarior cygno  
Cornice vivacior  
Luscinia vocalior  
Passere fallacior  
Cervo vivacior  
Scarabaeo improbiior  
Phoenixe rarior  
Columba simplicior  
Mittor agno

Animadvertas oportet vim etiam hyperbolicam obtinere «voces, ut ait Erasmus, simpliciter denominativas» ab his formatas, ut puta: «leonina ferocia, vulpinum ingenium, vultureus venter», cetera. Item: «Thrasonica jactantia, Demeana asperitas, Stentorea vox, Ciceroniana facundia, puritas Terentiana, Plautina libertas, Nursina durities», alia his similia. Dicimus etiam *mellitum* pro vehementer jucundo; *nivei mores* pro vehementer puris; *plumbeum saxum* pro duro; *aureus scriptor*, pro eleganti et classico; *aureum saeculum*, pro magnopere felici laudatoque; *aetas argentea*, pro minus classica vel cadenti. Interdum quoque legimus *betacium* vel *bliteum* pro fatuo; *ficulnum* pro molli; *adamantinum* pro duro vel etiam pro laborum egregie toleranti; *vitreum* pro fragili, alia.

Denique et coronidis loco nonnulla subjiciam, quae idem valent, et ab officiis fere promuntur, ut:

Milite gloriosior  
Carnifice immanior  
Athleta robustior  
Tyranno violentior  
Aeropagita tristior

Bajulo tardior  
Peltasta velocior  
Rege magnificentior  
Fossore durior  
Gladiatore audacior

Tonsore rapacior  
Saltatrice celerior  
Pistore operosior  
Funditore sagacior

At rivos jam claudere debeo. Nimis multa dixi; et adhuc alia intexere possum, quae apud auctores invenias licet. Quae tamen, cum non nisi ad aggravandam inutili mole hanc commentationem inserviant, omittere malui.

LEO SANSEGUNDO, O. S. B.

# Lucretiana 1954

IV, 547 - 548. — Hic locus perquam mutilatus tum demum perfecte potest corrigi, cum Lucretium Hesiodi Theogoniam 9-10 imitatum esse cognovimus. Hesiodus enim Musas in Helicone cantantes et noctu inde discedentes hoc modo describit:

9 ἐθεν ἀπορνόμεναι κεκαλυμμέναι γέρι πολλῆ

10 ἐνόχιαί στειχὸν περικαλλέα ὄσσαν ἰεῖσαι.

Quibus theogoniae versibus quodammodo Lucretii versus IV, 547-548 congruunt, quos per me jam emendatos ita propono:

547 evanidae <ac> nocte hortis ex Heliconis <alumnae>

548 cum liquida tollunt lugubrim voce querellam.

Utriusque certe poëtae consensus ex hac tabula evidentius manifestatur:

LUCRETIUS	HESIODUS
547 evanidae	9 ἀπορνόμεναι... στειχὸν
547 hortis ex Heliconis	9 ἐθεν = 7 ἀκροτατῶ Ἑλικωνί
547 nocte	10 ἐνόχιαί
548 liquida... voce	10 περικαλλέα ὄσσαν
548 tollunt	10 ἰεῖσαι

Qua verborum comparatione nunc nonnulla possunt effici:

1. Apud utrumque poëtam de Musis in Helicone versantibus agitur; praeterea,

2. Musae liquide canentes noctu Heliconam relinquunt.

His rebus cognitis facilius erit Lucretii verba hac ratione emendare:

547 «evanidae» spectat ad Musas, quae ex hortis Heliconis escendunt et evanescent; Musae in fine versus 547 «alumnae» (Heliconis nominantur; vox «evanidae» per licentiam poëticam cum correptione syllabae «a» usurpatur, qua pronuntiandi libertate poëta Epicureus saepius fruitur; de vocabulo «evanidus» cf. OVIDIUS, *Met.* V, 435 «abeunt evanida»; via erroris codicum erat haec: Evanidae et validae, et validis. «Evanidae» pertinet arte ad ablativum «hortis ex Heliconis».

Versus 547 cum versu antecedenti conjunctus erat copula «ac», quae haplographia simili (inter «ae» et «ac») post «evanidae» interiit.

In fine versus 547 nomen Musarum post «Heliconis» omissum est et ea quidem ratione, ut opinor, quod scriba vocem «alumnae» neque recte intelligere neque omnino interpretari poterat nescius quid puellae hoc loco sibi vellent; sed «Heliconis alumnae» illae Musae dicuntur ab Ovidio *Fast.* IV, 193, quem vocabulum «Heliconis alumnae» ad Camenas significandas e Lucretii versu IV, 547 sumpsisse veri similis est; nomen «Heliconis» ultro ἀποκοινῶ positum est ad vocem «hortis ex» (=ex hortis) et ad vocem «alumnae» pertinens. Quoniam Epicurei mythologiae maledicebant, haec memoria Heli-

conis et Musarum non ab Epicuro, sed a Democrito allata erat, ut etiam ex Horatii *Arte poetica* 296-297 sane probabile judicari licet. De Musis Helicon colentibus Hesiodus quoque in *Theogonia* 1 loquitur: Μουσάων Ἑλικωνιάδων.

In versu 548 tantum ita copulandum est «liquida... voce»; Musae enim jam apud Hesiodum *Theogon.* 10 περικαλλέα οἶσαν effundunt et in ejusdem Graeci vatis opere, quod «erga kai hemérai» inscribitur, 659 ληυροῆς... αοιδῆς legitur, quem cantum Musarum Lucretius «liquida... voce» prolatum dicit Horatius, *Carm.* I, 24, 3-4 «liquidam... vocem» e Lucretii loco IV. 548 imitando suscepit; sensu tamen cassum esset conjungere «liquidam... querellam», cum querimonia adjectivo «liquida» composita dictum obscurius redderet; insuper «liquida... voce» versus 548 opponitur versui 546 «raucum..., bumbum», unde necessario «liquida... voce» uniri oportet.

In eodem versu 548 denique «lugubrim» scribendum et ad «querellam» trahendum est, sicut Horatius *Carm.* I, 24, 2-3 Lucretium iterum imitans «lugubres cantus» affert, id quod de Camenis quoque canentibus et ex Helicone abeuntibus dici potest; forma accusativi vetusta in «im» desinentis «lugubrim» crebrius occurrat, ut exempla proferam: *bipennim, neptim, puppim, sitim, turrim, sensim, paulatim*... In versu 547 vox «hortis» ad Epicuri πῆπον suspicere videtur; cf. Cicero de *Fin.* V; 1, 3 «in Epicuri hortis».

Nunc ad profundiorum intellectum horum duorum versuum IV, 547-548 quaedam addenda videntur esse.

1. Initio hujus disputationis Lucretium hoc loco Hesiodi imitorem esse vidimus; sed poeta Romanus non ipsum Hesiodum consulto repetivit, immo potius Epicuri prosae orationis libro «de rerum natura» usus satis ad Hesiodi textum appropinquavit. Epicurus vero ipse ex operibus Democriti illa Hesiodica in usum suum ceperat. DEMOCRITUS ergo fuit princeps, qui Hesiodi descriptionem Heliconis una cum Musis ibi morantibus adhibuit; cf. Horatius *Ars poet.* 296-297, ubi Democritus et Helicon uno tenore commemoratur; e Democriti opere, quod φυσικα inscribitur, praecipue Epicurus doctrinam de atomis apprehendit; Lucretius autem non jam Democriti scripta legerat, sed Epicuro scholae fundatore et Democriti interprete locum theogoniae Hesiodi cognovit. Postremo totam Lucretii doctrinam de atomis in IV, 545-548 obviam tamquam fragmentum philosophiae naturalis DEMOCRITI recognoscendam esse arbitror, quippe qui Abderites ille physicus (cf. GELLIUS, V. 15, 8) diversas atomorum formas ex instrumentis musicis et ex Musarum cantu natas docuerit exemplisque a Lucretio numeratis illustraverit.

2. Ovidius Lucretium IV, 547 «Heliconis alumna» describentem imitando suscepit, cum sedulus lector poetarum Romanorum esset.

3. Horatius autem in *carm.* I 24, 2-4 ex Lucretio IV 548 simul «lugubres» (cantus) et «liquidam... vocem» cum eadem alliteratione mutuatus rectamque copulationem (=liquida... voce) apud Lucretium testatus est.

4. Lucretius ipse tandem IV, 547-548 sub specie Musarum canentium

per allegoriam suam propriam artem poëticam, doctrinam philosophicam scientiamque brevissime definivisse putandus est; etenim «liquida... voce» Lucretii quoque forma poëtica canendi exprimitur; per «lugubrim... querellam» poëtae doctrina «pessimismi» cujusdam de naturae et culturae hominum evolutione indicatur; «lugubris querella» Lucretii idem porro valet atque illud Horatianum «lugubres cantus» (*Carm. I, 24, 2*); quod ad extremum Musae «doctae sorores» (apud Ovidium *Met. V, 255*) habentur et Lucretius sub illarum imagine suam artem scientiamque his versibus (*IV, 547-548*) prae se ferre videtur, vates ipse quoque quamvis obscure loquens doctus poëta cupit existimari, ut postea Statius in «silvis» *II 7, 76* cecinit: «docti furor arduus Lucreti» et ut re vera Lucretius perinde doctus fuit atque illi poëtae Graeci Alexandrini Callimachus, Euphorion, alii. Postremo Lucretius commemorat «Heliconiadum comites» *III, 1037*, inter quos enumerat Homerum, Democritum, Epicurum et ad quos poëta velle semetipsum adnumerare clare sentitur; praeterea «repertores... leporum» referuntur (*III, 1036*), quorum in numero Lucretius ipse habendus est, quoniam «de re obscura tam lucida carmina pangit musaeo contingens cuncta lepore» (*I, 933-934 et IV, 8-9*). Reliquum igitur est ut recta lectio versuum *IV, 547-548* Lucretii iterum luculenter proponatur:

- 547 «evanidae <ac> nocte hortis ex Heliconis <alumnae>  
548 cum liquida tollunt lugubrim voce querellam».

EMIL ORTH

## BIBLIOGRAPHIA

HANS KRAHE. *Lingüística Indoeuropea*. Traducción de Justo Viciña Suberviola. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Madrid, 1953.

Maxime in lingua Hispanica opus ejusmodi desiderabatur. Parum enim apud nos ea volutantur, quae de scientia vel arte Linguisticae Indoeuropaeae sapientes, in primis Germanici et Gallici, docuerunt. Hanc vero plausu dignam lucubrationem Dris. Hans Krahe, in nostram linguam transtulit clarus vir Justus Viciña, cui quidem magnum lectores omnes animum gratum referre cogentur. Atque opus, jure merito, in serie librorum Bibliothecae «Emerita» connumeratur.

Alumnis Philologiae opus commodum dicitur, qui quidquam de rebus linguisticis ac


philologicis sapere videantur. At bene erit utile, ex propria accurataque ejusdem ratione, lectoribus omnibus qui, eruditione praediti elementaria, summatim velint cognoscere facta praecipua linguae «Indoeuropaeae Communis», sicut et viam ac rationem scientiae Linguisticae Indoeuropaeae.

Bibliographia de re selecta omnino atque ad nostrum usque tempus protracta ostenditur. Et quanquam liber molis parvae apparet, ex systemate tamen brevitatum, vere amplius est atque rite cum scriptoris fine congruit. Utinam apud nostrates cultores litterarum humaniorum haec quoque studia in dies evulgentur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

# Nova et Vetera

## FLOS



1. Tempus quidem decurrit, quo magna quasi vitae actione se terra nobis commonstrat. Quid igitur, in prosequenda nomenclatura Latina in tironum usum opportunius, quam de floribus, fructibus, oleribus non nulla lectoribus Commentarii delibanda offerre? Jam vero, vocis etymi ratione habita, *flos* certe conjungi potest eum vocabulo Graeco φλόος et φλοτόν a φλώω; estque flos quidquid in herbis et arboribus inter folia coloratum enascitur, fructus vero initium atque spem continens.

Flos est pleni veris indicium et anni renascentis, flos gaudium arborum. Tunc se novas aliasque quam sunt ostendunt, tunc variis colorum picturis in certamen usque luxuriant» (*Plin., Hist. Nat., 16, 25, 40*). Flores, tanquam totius ornamentum naturae, magna aestimatione sunt in cultu hominum, poetarumque carminum argumentum saepe numero apparent. Memoria, exempli gratia, illud apud Columellam recole (*De Agric., X, 94-102*):

«Verum ubi jam puro discrimine petita tellus,  
Deposito squalore nitens sua semina poscit,  
Pangite tunc varios terrestres sidera flores,  
Candida leucoia, et flaventia lumina calthae,  
Narcissique comas, et hiantis saeva leonis  
Ora feri, calathisque virentia lilia canis,  
Nec non vel niveos, vel caeruleos hyacinthos,  
Tum quae pallet humi, quae frondens purpurat auro,  
Ponatur viola, et nimium rosa plena pudoris».

In adjuncta tabula picta quaedam habes florum genera, et floris non nullae praecipuae partes graphide ostenduntur. Hoc fere ordine ac ratione latine et hispanice nominari possunt:

1 Perianthus, <i>periantio</i>	10 Pediculus, <i>pezón</i>
2 Calyx, <i>cáliz</i>	11 Sepalus, <i>sépalo</i>
3 Corolla, <i>corola</i>	12 Flos aclamydeus, <i>aclamídea</i>
4 Flosculus, <i>flósculo</i>	13 Flos haploclamydeus, <i>haplo-clamídea</i>
5 Petalus, <i>pétalo</i>	14 Flos compositus, <i>compuesta</i>
6 Stamina, <i>um, estambres</i>	15 Flos diploclamydeus, <i>diplo-clamídea</i>
7 Gynaeceum, <i>gineceo</i>	16 Flos zygomorphus, <i>zigomorfa</i>
8 Receptaculum, <i>receptáculo</i>	
9 Carpelus, <i>carpelo</i>	

2. Quod ipse in natura vides, stirps vel planta protuberat e terra; cui penitus radice inhaeret; germinat autem reliquo ipsius corpore in aërem, imbibens avide humorem fibris; atque, eum convertens in sucum et digerens, alescit, vigescit, virescit. Si autem suco quovis modo destituitur, languescit seu marcescit. Caulescit vero, cum caulem seu frondes acquirit; decaulescit, easdem cum amittit.

En quoque tibi non nullae partes plantarum: Radix, bulbosus, stipes seu truncus, qui quidem in fruticibus caudex, in aliis vero caulis dicitur; surculi rami, folia, flores, fructus, semen, cortex, lignum, medulla, nucleus ac putamen. Quae tamen partes aliter atque aliter in eis quae terra gignit reperiuntur. Quorum tria in primis genera: Herba, frutex, arbor.

Etenim vera stirps radicem habet fibratam, stipitem corticosum, ramusculos foliosos eosque plerumque brachiatos. Horum autem minores, singulis annis morientes et renascentes, herbarum nomine veniunt; grandiores et permanentes, arborum; ii tandem proceritatis et durationis mediae, fruticum. Nunc vero animi relaxandi ergo, memoria tene vocabularium fructuum magis in usu hominum:

Arbutum, <i>mudroño</i>	Daŕylus, <i>dátil</i>	Olea, <i>oliva</i>
Ariena, <i>plátano</i>	Duracina persica, <i>duraznos</i>	Persicum, <i>melocotón</i>
Armeniacum, <i>albaricoque</i>	Ficus, <i>higo</i>	Pirum, <i>pera</i>
Amygdalum, <i>almendra</i>	Fraga, <i>orum, fresas</i>	Pistacium, <i>alfónsigo</i>
Astaphis, <i>pasa</i>	Granatum, <i>granada</i>	Prunum, <i>ciruela</i>
Avellana, <i>avellana</i>	Malum, <i>manzana</i>	Punicum, <i>granada</i>
Carica, <i>higo seco</i>	Malum aureum, <i>naranja</i>	Racemus, <i>racimo</i>
Castanea, <i>castaña</i>	Mala medica, <i>limones</i>	Rubum, <i>mora silvestre</i>
Cerasus, <i>cereza</i>	Mespilum, <i>níspero</i>	Strobilus, <i>piña</i>
Citreum, <i>cidra</i>	Morum, <i>mora</i>	Tuber, <i>acerola</i>
Cydonia mala, <i>membrillos</i>	Nux, <i>nuez</i>	Uva, <i>uva</i>

3. Atque me partes herbarum notiores hic memorare juvat. Scapus seu caulis, cui etiam est nomen thyrsus; eoque herba in terra sustentatur. Folia, quibus jucunde ambitur. Geniculum seu articulus, tanquam nodus in caule; internodium

vero est intervallum duo inter genicula. Calyx autem folliculus primo floris, tum seminis. Apex seu stamen pars herbae suprema, quod e calyce fili instar prosiliit. Bulbus, radix rotunda et tunicata. Pericarpium, variis aliquando cellulis et ventriculis distinctum, intercursantibus membranis. Nervus, praelongum filamentum in foliis, cet.

Atque inter herbas maxime splendent flores, qui variis omnino coloribus in viridariorum solis ornantur. Alii sunt purpurei aut rubicundi coloris, ut narcissus, papaver agreste, rosa Graeca et amarantus; alii caerulei, ut jasminum, iris, campanula; alii flavi seu luteoli, ut heliotropum et chaltha; alii candidi et gilbi, ut lilium; alii sunt multicolores, ut hyacinthus, gladiolus, geranium, cet.

Sed florum regina, ut videtur; est flos Indicus. Is rosa major, et odore melior, Christi patientis instrumenta et signa in se mirifice exprimit. NIEREMB., *Nat. Hist.* lib. 14, c. 10, ita eum describit: «Granadilla supra foliorum ambitum quinque corallia, tanquam vulnera, ostentat; surgit in medio columna cum basi, et capitello; ex ea quinque virgulae spinosae velut in coronam coeunt. Eminent clavorum instar, tria ferrei coloris germina. Gracilis, instar hederæ, vicinæ arbori crescendo inserpit, foliis mucronem lanceae praeferentibus incumbens. Fructus ovi anserini, coloris aurei, rufulis aliquot maculis inspersus est. Semina nigra et rotunda; succus melleus ventriculo roborando prodest. Simul in eadem planta flores fructusque toto anno videas: flos ad solem orientem apertus, occidente clauditur».

4. Sed haec haftenus. Vocabulario de oleribus atque brevi phraseologia finem facio:

Alium, ajo	Caepa, cebolla	Melo, melón
Apium, apio	Cicer, garbanzo	Melongena, berengena
Asparagus espárrago	Cucurbita, calabaza	Napus, nabo
Beta, acelga	Cucumis, cohombro	Oryza, arroz
Boletus, hongo	Faba, haba	Oxalis, acederilla
Brassica, berza	Fungus, hongo	Pepo, melón
Capparis, alcaparra	Phaseolus, frijol	Pisum, guisante
Carduus, cardo	Intubus, chicoria	Porrus, puerro
Carota, zanahoria	Lactuca, lechuga	Rapum, nabo
Caulis, col	Lens, tis, lenteja	Solanum, patata
		Tuber, criadilla

Terra effert fruges: la tierra da frutos

Prata fundunt flores: los prados producen flores

Ea quae terra gignit: los productos del suelo

Ea quae a terra stirpibus continentur: el reino vegetal

Radices agere: echar raíces

Flores, folia, frondem agere: producir flores, hojas, follaje

Gemmae agere, gemmare: echar yemas

Gemmae proveniunt: los árboles florecen

Rami late diffunduntur: los ramos se extienden mucho

Agrum colere: *cultivar la tierra*  
 Agriculturae studere: *ocuparse en la agricultura*  
 Opus rusticum: *el trabajo del campo*  
 Serere, semen spargere: *sembrar*  
 Lactae segetes: *mieses abundantes*  
 Lactissimi flores: *floración soberbia*  
 Odores qui efflantur e floribus: *el perfume de las flores*  
 Arbusta florescunt: *los arbustos comienzan a echar flores*  
 Messis in herbis est: *la mies está en yerba*  
 Fructus demetere, percipere: *recoger los frutos*  
 Messis opima: *buena cosecha*  
 Messis ingrata, nulla: *mala cosecha*  
 Per messes: *durante la siega*  
 Arbores serere: *plantar árboles*

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

## De re familiari

CLIMACUS. — Quod patri tuo est nomen?

POLYPHEMUS. — Aemilio nomen est; cognomen vero a Sanctio.

C. — Quot annos natus est?

P. — Curiosus homo es, mea fide; septuaginta, ni fallor multum, natus est annos.

C. — Pater meus major est duobus aut tribus annis atque in singulos dies magis atque magis senescere videtur. At vividus etiam nunc est sibi-que ait spem esse maximam ad summam usque aetatem Nestoris perveniendi.

P. — Avus etiam meus eadem spe torquetur.

C. — Quot annorum est?

P. — Proxima hebdomada saeculum complebit.

C. — Non magnam quidem dicis senectutem; vivitne adhuc avia tua?

P. — Vivit, immo vero ipsa domi

dapes coquit, legit acta diurna, purgat et everrit aedes totas et munia expedit universa. Jam annum ingressa est quintum et nonagesimum cum sit prope aequalis avunculi mei.

C. — O felicem domum illam avorum tuorum, quam maximis opibus florebit, in primis pace et curarum requiete. Nostin' Carolum vicinum meum et comitem lepidissimum?

P. — Novi, quid rerum gerit amicus ille quondam meus? Annus est ex quo non video...

C. — Brevi ducturus est Teresiam uxorem; ut nuptiis illorum intersis vehementer te oro.

P. — Fiet, si tandem fieri id non potest, precor ut meis verbis salutem dicas sponsis et omnia fausta nomine meo.

RAYM. SARMIENTO, C. M. F.  
*Villae Rosarii, in Argentina*

# Commercium epistulare

*Andreas Avenarius P. Joseph Xylandro clarissimo gymnasiarcho S. D.*

Te; qua soleas esse humanitate, superioribus litteris nostris respondisse huc rumor tulit; nam litterae etiam nunc in via sunt, quae quippe satis longa est ex Hispania atque Oscensium civitate profectis. Invitus scilicet facio, ut post hibernorum frigorum «*plumatilia*» aliam rem, non minus ad communia vitae spectantem, tuae in suppeditandis vocabulis Latinis sapientiae, sagacitati, dexteritati submittam. Sed non ita te interpello ut quidam solent adulescentes jubere: quid est hoc, quid illud est?, sed rem mente in diversas partes agitata, quae vidisse videar immo non vidisse, fidenter atque jure veteris necessitudinis eloquar.

Itaque non rarum est ut quis calida indigeat aqua vel ad faciendam barbam, vel ad thearum superfusiones, vel ad servandum habitum debilioris stomachi, quam ad rem hodie multum utimur electricis vadis. Noveris catinorum genus, ollas metallicas fere, in quas nos, cum impleverimus aqua, nucem vel glandem inducimus adhaerentem filo electrico et copulae. Hanc, ubi infiximus in *matrice* — et est mihi *matrix* illa, quae Itali hodie cum Hispanis «*presa*», «*toma*», Galli «*prise*» nominant, nos Latii alumni *prensionem* vel *prensorium* sine violentia linguae nominemus; quam vero scite Graecorum, philologi *ῥευματοδότην* cogitaverunt et *ῥευματολόπτην*, illum qui in Germania audit «*Steckdose*», [«*enchufe hembra*»], hunc illorum «*Stecker*», quem ego vel *bipennium* audeam novare, quoniam in illa quam dixi matrice binae semper pinnulae defiguntur, — his infixis post breve tempus ebullescet aqua.

Sed non tam haec eram dicturus, non haec me cruciant magis quam illud nomen quod nuper quidam meus sodalis Germanicum obtulit, quod «*Tauch-Sieder*» fuit, in quo reddendo meum me ingenium et totus lexicographorum chorus misere deseruere.

Sed accipe, in quae mens et ruminatio mea delata sit vocabula. Ista vasa in quibus ebullire aqua debet intromisso globulo vel glomeramine vel glande electriphora *ἐγκαθεψήτρια* (*encathepseterion*) si quis voluerit agnominare, sibi habeat. Ego etiam pro ejus Graeco nominaverim Latine *fervefactorium natatile*. Nam, etsi *fervefactorium* nullum GEORGES noster tradit, prodit *calefactorium*; et in eandem rationem a me productum *fervefactorium*, in quo quid natet, est fere ad verbum «*Tauchsieder*». *Coculum* etiam *subaquaneum* aliquid significationis visumst habere. *Coculum* ubi primum conspexi, ultro Taurinense breviarii psalterium cogitare coepi, in quo nomen Vicarii generalis Antistitis editionem probantis «*Coccolo*» est. Illam, quam dixi supra glandem impositicam ad aquam flumine electrico fervefaciendam *ἐγκαθεψήτρικὴν* (*βολίδα*) dicere subiit vel *βραυστικὸν κάθεμα*.

Et haec sunt, quae mihi ex tenuitate penoris proprii proferre licuit; tu

jam cornu effunde copiae tuae, non oblitus non hic quaeri nomina vasorum, in quibus aqua coquitur electrificatis vasorum ipsorum perietibus, quae quidem vasa jure quis vocet *ollas electricas*, sed nomen desiderari vasis, in quibus aqua fervescit electriphora illa glande. Et haec cum tuo commodo scilicet, sed cum gratia plurimorum. Vale. Ex Augustiniano nostro et urbis Bonnae suburbio, Idibus Martiis.

*Andrae Avenario Josephus Xilander sal. pl.*

Libentissimo animo ad difficultates, quas in litteris datis ut mihi bona omnia benigne optares, ob sti. Josephi memoriam, satis dilucide sub oculos coniecisti prout meum patitur ingeniolium, jam accedam. — Primum te oro ut Graeca ista omittas. Non indigemus, cum Latina praesto sint. Neque curo *authepsam*. Illud autem instrumentum, quo cum usus adest, aquam ollae infusam fervescimus, mihi est *aquae calefactorium*, quia ad aquam solummodo id adhibemus bullandam. Est praeterea in meo vocabulorum veluti cornu *mergulus fervesciens* (cfr. Gallorum «chauffe-eau» et «thermoplongeur»; quo nomine Hispani rem appellent, expiscari nequeo). Nam illam machinulam electricam in aquam mergimus, quo fervescat. Ut autem nexus inter rete domesticum et *fervescatorii machinationem* stabiliatur, adhaeret filum, quod in binas excurrit *spinas*. *Spinam enim conductionis electricae* in «Societate Latina Monacensi» proximo anno de radiophonicis scribens pro «Stecker» *Germ.* et pro «enchufe macho» *Hispan.* proposui. Eodem loco *capsulam conductionis electricae* «Steckdose» aut «enchufe hembra» nuncupavi. In contextu nimirum genitivus explicativus *conductionis electricae* omitti potest. Tuum *bipennium* concoquere nequeo. Est sane cibus ad concoquendum difficillimus. Fingendum insectum bipenne! Imaginari, quaeso, securim bipennem! Nonne largieris duos illos stilos metallicos eminentes e praeparatione, qua terminatur ductus machinulae, de qua sermonem instituimus, nihil commune habere cum bipenni? Nonne *spina* significantior est? *Spinas* proinde aequo animo infigamus in capsulam in muro immissam, in cujus operculo ad rem duo facta sunt foramina! Quae foramina in «Societate Latina» a. 1952 appellaveram *comparatoria*. Quid tibi videtur?

*Cocculum vero electricum* optime et festive novatum condam in horreum.

Apposui meas adnotationes ea, qua par est libertate, non, ut aliquid tuae auctoritati detraham, sed potius ut tibi manifestum fiat, quid ipse sentiam. Id quidem feci pro virili. Ut ingenue profitear *matrix* ingeniosissime a te *capsulae* meae accomodata est, quia ejusmodi juncturae etiam apud veteres saepe leguntur. Offerre libet *cardinem masculum*, *cardinem feminam*, *tornum masculum*, *tornum feminam*. Huc quoque faciunt Hispanorum «enchufe hembra» et «enchufe macho», quibus eadem subest imago. Praeterea loquimur de *cochleae matrice* quippe quae *cochleam* ut parvulum infantem excipiat gremio. Quae cum ita sint, *matricem* in nostram rem deflectere licet.

Ad finem veni. Jam valde suspensio animo tuum exspecto iudicium. Vale et me ama! *Lebach*. XVI Kal. Apr., a MCMLIV.

# Per Orbem

## Societas Hispanica studiis classicis provehendis

Summo opere nostra aetate studia classica excoluntur. Etenim apud omnes gentes multi libri et commentarii eduntur de rebus ad studia classicorum scriptorum pertinentibus. Immo in illis civitatibus in quibus maxime haec studia vigent, coetus et societates eruditorum hominum inveniuntur qui strenue adlaborant ut studia litterarum atque artium numquam deficiant sed magis in dies augeantur. Etsi in Hispania multi etiam libri et commentarii de his rebus proferuntur atque in omnibus fere Universitatibus, Institutis, Collegiis adulescentes plene ac profuse in his studiis imbuuntur, tamen consociatio quaedam desiderabatur quae rerum classicarum peritos homines congregaret omniumque vires in unum conferret.

Die tandem 9, mense Januario, anno 1954 ad centum socii congregati sunt ut eos, qui coetui praeesse deberent, deligerent. En tibi delectum consilium:

*Praeses:* D. Antonius García Bellido.

*Propraeses I:* D. Antonius Tovar Llorente.

*Propraeses II:* D. Josephus Vallejo Sánchez.

*A secretis:* D. Franciscus Rodríguez Adrados.

*Pro a secretis:* D. Johannes Zaragoza Botella.

*Thesaurarius:* D. Eugenius Hernández Vista.

*Consiliarii:* R. P. Ignatius Errandonea, S. J.

D. Constantinus Láscaris Comeno.

D. Petrus Pericay Ferriol.

D. Emmanuel Fernández Galiano.

D. Antonius Magariños García.

Haec autem *societas ad classica studia provehenda* ex nobili quem sibi proposuit finem magnam apud Hispanos movit expectationem cum ejus socii jam fere tercenti numerentur. Aliquae etiam jam habitae sunt scientificae contiones — in quibus prima de «Philologia classica» Dris. A. Tovar est recensenda—, quae non dubitamus quin magnae utilitati futurae sint omnibus harum rerum studiosis.

Commentarius «Estudios Latinos» hujus Societatis Hispanicae — quae in *Consociatione Internationali Societatum studiis classicis provehendis* est cooptata — opera omnia et labores ad litteras humaniores spectantia recensebit ejusque erit, vulgato nomine, *organum*.

PALAESTRA LATINA, commentarius de classicis litteris, Hispanicae Societati gratulatur multumque exoptat ut ejus socii magis ac magis crescant ad humanitatem et litteras ubique terrarum propagandas.

JESUS ASPA, C. M. F.

In corpore exornando concinnandoque sollicitus sim oportet. Exquisitis candidisque vestibus utar; thorax, exomium 1), braccæ ipsaque femoralia affabre erunt consuta ac novi semper usus.

In sutore 2) deligendo singularis mihi cura erit adhibenda; sartor 3) quoque et petasorum subucularumque opifex 4) optimus quisque erit. Magis enim specie quam re omnia duci frequenter intellexi juxta illud: «obscurum vestis contegit ampla genus». Qui rite ornatur, qui lucidas gestat vestes, quantumvis rusticis sit moribus ac vitiis abundet, is ab hominibus magnus habetur; quod quidem lucrum aestimandum est, quippe quod facilius facies corpusque quam hominis mens exornatur.

Fortuna aucta, augebitur et amicorum, hominum ac mulierum, turba. Nam divitiis amicitiae hominis affluentis et generantur et conservantur gratique in eum animi testimonia. Divites, etsi vitiis onerati, omnium, qui circumstant, favore extolluntur.

Neque vero in hoc consistam; neque mercatura, si quid supererit agendum, supersedebo. Tum, cum iis florebo facultatibus, quas maximas expetere fas sit, centumque milibus libellis gaudebo, optimam, quam invenire potuero, domum emam, uberi et pingui solo et villulis ditem, saepto atque horto consistam. Paucis, magnorum qui sunt in orbe terrarum nomen adipiscar. Numquidnam tandem unus ego optimatum salutabor? Tunc si quis per locorum ambitus quaerat: cujus es hic ager? respondebitur: Domini Albi Longi est. Cujum castrum? Domini Longi. Eadem perpetuo responsio perinde atque in fabula narratur.

Domus meae cubicula regali luxu exornata, quicquid cogitari potest, superabunt. Pavimentum, crustae 5), portae fenestraeque, valvae, transennae persicae 6), optimo ligno confecta et ebore, encausto 7) contexta resplendent. Ferreae vertebrae 8), pessuli 9), serae transversae 10), claves, quae vili semper aere et ferro apud omnes conflata sunt, chalybe 11) optime levigato auroque expressa erunt.

Ebur atque aurum ubique nitescent; sericum, gossypi telae 12) villosumque sericum 13) aptissime permixta, vario colore oculos perstringent. Neque praetereunda sunt laquearia, quae caerulea sint oportet, aureis stellulis conspersa, hic inde purpurea nube decorata.

Convertit RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

(Ad proximum fasc)

1) chaleco. 2) zapatero. 3) sastre. 4) sombrero, camisero. 5) molduras. 6) persianas. 7) esmalte. 8) bisagras. 9) cerrojos. 10) cerraduras. 11) acero. 12) muselina. 13) terciopelo.

\* cfr. fasc. 143, p. 138.

# Bibliographia

JOHANNES HUBSCHMID — *Sardischen Studien*, A. Francke, Verlag. Bern. 1953.

Intentio auctoris praecipua satis subtitulo claret: «Das mediterrane Substrat des Sardischen, seine Beziehungen zum Berberischen und Baskischen sowie zum eurafrikanischen und hispano-kaukasischen Substrat der romanischen Sprachen».

Materia autem hujus libri fortasse longius patet cum populorum motus etsi breviter etiam indicet et de geographico origine «substratorum linguistiarum» aliquando loquatur.

Sardiniae etenim primas partes concedi oportet in investigatione verborum «praeindogermanorum» quae supersunt, cum insula ab ipsis Romanis primum subierit influxum gentis indogermanicae. Qua de causa quidquid Romanum est et praeindogermanum dicamus oportet. Tutissimam ergo invenimus viam investigandi praeindogermanas voces allarum gentium quarum lingua maxima ex parte a Romano sermone originem trahit.

Cum auctor Hubschmid praeter introductionem et conclusionem, opus in duas dividit partes re. quidem vera sat diversas.

Prima lectoribus verborum origine praeromanorum apud Sardos seriem offert, quibus verbis voces apponit similes tum ab aliis Romanicis linguis desumptas tum etiam a non Romanicis. Quae omnia sub diversis ordinantur capitibus: plantarum scilicet, nominum localium, animalium et suffixorum.

Alteram partem linguam primaevam discernere conatur a qua voces origine non indogermanicae procedunt. Postquam varias attulit sententias duo velut «substrata» invenit, euroafricanam nempe, et hispanicum caucasicum. Hic auctor non tantum nomina attendit sed et historiam consultit.

In fine denique libri indiculum inventis perfectum.

Philologis in primis liber perutilis dicendus est; immo et historicis illius primaevae aetatis quae praehistoria dici solet, cum reliquiae sermonis, tanquam itineris signa, viam nobis demonstrent gentium ab una in aliam regionem migrantium.

F. M. ALBA, C. M. F.

C. BOSELLI. — *Dizionario Spagnolo-Italiano e Italiano-Spagnolo*, Offic. Graf. Aldo Garzanti, Milano, 1953.

Lectoribus nostris hoc praebemus dictionarium quod, quamvis parvae sit molis, non parvi quidem ponderis commodique ducimus his praesertim qui primis utriusque sermonis Italici et Hispanici elementis imbuuntur.

In hac altera operis editione, obsoletis vocibus remotis, optima papyro nitidissimisque typis elaborata, quamplurima includuntur rerum recenter inventarum vocabula quae apud omnes gentes in hodierno sermone vigent; quae omnia verba, ex accuratissimis dictionariis cum Italicis tum Hispanicis scite excerpta, et ad res technicas atque «scientificas» et ad commercium inter homines et ad figurate ac «neologice» dicendi modum pertinent.

En ad studentium cognitionem totius operis conspectus in duas partes divisi: primae parti nempe Hispanicae-Italicae praestitit prooemium grammaticale de flexione verborum, de participio, de pronuntiatione, de syllabarum divisione, deque accentuatione Hispanica (XIII-XXXII pag.). Deinde vocabularium consequitur (pag. 1-452). Tandem elenchi tres quorum index: de nominibus propriis, mythologicis et historicis, de vocabulis geographicis antiquis et hodie usitatis, de proverbis ac sententiis Italice conversis (pag. 453-479).

Altera pars (Italica-Hispanica) simili ratione ad Italicam linguam spectat (pag. I-XV et 1-499).

Opus, ut legentes ipsi videbunt, omni commendatione dignum.

M. MOLINA, C. M. F.

CALPURNII ET NEMESIANI. — *Bucolica*, tertium edidit Einsidlensia quae dicuntur carmina iteratis curis adjecit CAESAR GIARRATANO. In aedibus Paraviae, Aug. Taurinorum

En tibi index rerum quae in hoc volumine continentur: Praefatio, pp. V-XLIV; testimonia, p. XLV; T. Calpurnii Siculi *Bucolica*, pp. 1-67; M. Aurelii Olympii Nemesiani *Bucolica*, pp. 69-95; Carmina Einsidlensia, pp. 97-107; index nominum, pp. 109-111.

Prout in praefatione scriptor, septem eclogae Calpurnii et quattuor Nemesiani in iisdem codicibus exstant, unde factum est, quamvis suavitate et elegantia inter se differrent, ut semper a viris doctis una ederentur. Et facili quidem calamo tractuque prolixo de codicibus scriptor disputat

Eclogae Calpurnianae et Nemesianae critico apparatu ornantur, quo lector commode in eorumdem mentem venire poterit. Hac vero in editione et Carmina Einsidlensia, quae vocantur, a claro viro Giarratano adiunguntur, quorum quidem varias editiones explicat erudite, ut solet. In hoc libello legendo cultores Latinitatis non nullos Latinae poeseos flosculos carpere amabunt et curabunt.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CAZZANIGA. — *La tradizione manoscritta del «De lapsu Susannae»*. In Aedibus Paraviae

Brevis haec elucubratio quasi complementum est introductionis criticae editionis clari viri Cazzaniga: «Incerti auctoris: *De lapsu Susannae*» -- de lapsu virginis consecratae --, Corpus Script. Lat. Paravianum, 1948.

Apparatus criticus omnino innovatus est; namque hoc in studio continentur lectiones codicum recens ab auctore examinatae, quibus scilicet adjunctae sunt lectiones codicum in praecedenti editione usitatorum. Notitiae vero pagellarum et linearum ad pagellas et lineas textus editionis anni 1948 referuntur.

Paucae quidem sunt mutationes quae textui opusculi inferuntur. Ita se habet index: Praefatio, p. V; traditio manu scripta libri «*De lapsu Susannae*», pp. 1-52; apparatus criticus, pp. 53-65. Non nullae mendae typographicae textus antea editi corriguntur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

J. ECHAVE-SUSTAETA. *Lengua Latina. Vocabulario Básico*. Ediciones Cefiso, Barcelona, 1953.

Aliis quidem notis linguae Latinae descendae libris, hunc nobis adjunxit clarus scriptor Echave-Sustaeta, qui tanquam «*Vocabularium suffundatum*» est habendum. Etenim uno quasi conspectu praecipua ibi in tironum commodum vocabula Latina colliguntur, eaque facili plane ratione disposita atque ordinata Usitatiora in scriptis scholaribus Caesaris, Ciceronis, Vergilii, Ovidii, Sallustii, Nepotis, Livii vocabula inveniuntur

Tribus rite coalescit partibus scitus liber. In earum prima, ordine alphabetico, vocabula praecipua — nomina, adjectiva, verba et adverbialia derivata ab adjectivis interjectis — includuntur. Sunt plus duo milia selecta vocabula (pp. 15-89)

In altera libri parte vocabula habes instrumenta grammaticalia: id est, elementa relationis, pronominalia et particulas maximi usus, quae operae pretium erit ut memoriter discipulus quantocius addiscat. Circiter sunt quadringenta vocabula. Et consequitur appendix accurata cum verbis formae irregularis in perfectis et supinis (pp. 90-121).

In tertia denique non nulla vocabula,

eaque substantiva solum, includuntur juxta sensum ordinata. In qua prae oculis lectorum quasi series «dioramatum» earum rerum quae magis sunt in usu linguae et vitae Romanae sibi succedunt (pp. 122-143). Antequam vero libro brevis selectaque tractatio de vocabulis efficiendis (pp. 5-13) Liber certe alumnis Latinitatis erit utilis, quibus eum maximo opere commendamus

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

B. MIGLIORINI. — *Che cos'è un Vocabulario?* Seconda edizione riveduta e aumentata. Firenze, Felice le Monnier, 1951.

Finis hujus libelli nullus alius est, nisi lectori praecipuas offerre quaestiones de arte scientiae lexicographicae; praesertim vero de his, quae ad vocabularia et dictionaria linguae Italiae referuntur. Libellum et utilem ducimus his, qui litteras Latinas colunt, cum lucide ac brevi tractu in eo agitentur praecipuae de vocabulis notitiae, quatenus partes dictionariorum sunt.

Etenim distinguit clarus scriptor lexicologiam inter et lexicographiam; de variis vocabulariorum generibus disputat; atque ipsa de mole vocabulariorum, de selectione ordineque lemmatum agit. Complectitur quoque «varias lectiones», una cum adnotationibus orthographicis aliisque magni momenti rebus grammaticalibus.

Quidquam insuper de definitionibus, de locis allatis, de etymologiis, de erroribus, de praecipuis lexicographis afferre curavit. Digna quidem illa sunt memoratu, quibus disserit de vocabulariis: Italici, bilinguis dialectalibus, methodicis, specialibus, etymologicis, orthographicis, orthographicis. Paucis omnia fere problemata, quae hodie ad lexicographiam pertinent, hac in opella perstringuntur.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

K. H. E. SCHUTTER. — *Quibus annis Comediae Plautinae primum actae sint quaeritur.* De Waal, 1952 - Groningae.

Unus titulus hujus «thesis doctoralis» finem scriptoris in ea elaboranda commode patefacit. In pagellis I XXXII, rei Prolegomena adducuntur. Ibi enim de Poetae nominibus sermonem instituit clarus vir K. H. E. Schutter, et de loco ubi Plautus natus est. Quando Poeta natus sit, scite quaeritur; deque Plauti vitae curriculo, ac fabulis quas ipse composuit, disputatur.

Deinde quaeritur, quando Plautus fabulas componere coeperit; et luculenter agitur de commentationibus ad chronologiam fabularum Plautinarum pertinentibus. Tum de normis, quibus viri docti in aetate fabularum constituenda usi sunt.

In pagellis vero 1 154, unaquaque fabularum perpenditur, atque ejusdem tempus primae actionis stabilire scriptor omni cura intendit. Lucubratio certe subtilis; quod quidem in laudem Dris. Schutter adscribendum. Sed lectoribus majorem de re lucem illi, quibus opus clauditur, versus afferent:

«Quodsi cuiquam haud ita magni momenti esse videatur utrum sciat an ignoret, quo anno Romani spectatores hanc illamve Plauti fabulam acceperint, non ego quidem contrariam sententiam defendere conabor; hoc tamen animadvertat, precor, si hodie notum esset, quo anno singulae prodiderint fabulae, certiores nos forsitan fore de eius temporis historia de quo etiam nunc ambigua quaedam circumferuntur, deinde meliore fortasse iure statui posse de poeta ipso, de eius vita, opinionibus, eiusque ingenti artisque progressibus, postremo in Plauti comoediis expedita iam fore plurima quae nunc sunt perquam obscura».

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Ordinarii ac Superiorum licentia

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.